

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

niæ nostræ constitutam, & tot jam annis luce veritatis egregie fulgentem, miser corditer conseruet à malo, & confirmet in diem Christi, idque eò magis, quod videmus, nonnullas grave fecisse naufragium. Nos per DEI gratiam pace fruimur, quam & diurnam & firmam esse cupimus. Aegritudinibus subinde laborant symmistræ fratres, iique sancti & fideles, quorum afflictio me quoque affligit, qui quales habeam, video, sed quales habitura sit Ecclesia, si defunguntur vita, non video; spe tamen bona ducor, daturum Dominum operarios non erubescendos, nec relicturum Ecclesiam viduam. Inter confederatos gliscit iterum incendium, propter Scaphusianos, quod sopitum videbatur, cum ordines Papistici accusationem institutam intermisissent, propter emissum in Gallia militem, & quia tres ordines, Tigurum, Berna & Glarona, qui cum aliis quinque eidem sunt causæ involuti, propter Cœnobium Monialium (quod vocant Paradisum) à reformationis statim initio à Scaphusianis occupatum, & reformatum, tenentque hætenus. Octo verò ordinibus ad se pertinere conjunctim affirmantibus, inter quos Papistici quinque controversiam potissimum propter religionis innovationem movent. Superfunt quatuor, Basilea, Friburgum, Solodorum, & Abbatiscella, qui se interponunt sequestres, sed nullo hætenus cum profectu. Nunc igitur in commitiis res serio & de novo tractatur, quorum eventum expectamus; is si secus quam vellemus, ceciderit, periculum est, ne incendium latè pervagetur. Heckelius isthuc proficiscitur negotiorum suorum expediendorum gratia, quem tibi, ut hætenus semper, commendo, ingenio valet, & gratia, etiam in populari doctrina & moribus incorruptis, te, sicuti debet, patronum agnoscit & colit. Sed benè vale in Christo JESU, cum uxore totaque familia & symmistis fratribus. Scripsi Basileæ, 4. Martii, Anno 74.

Salutant te Coccius, Fuglin, & Grynæus.

*T. d. totus ut semper*

Sulcerus.

CLXI.

*S. D. Reverende & clarissime vir, præceptor*

*& pater colende.*

**L**egenti mihi literas tuas, quæ 16. Februarii datæ, die 22. Martii redditæ sunt, in mentem venit Augustini Hipponensis Episcopi historia, qui Eccle-  
lias

flas quadraginta annorum labore & fide à se in Africa plantatas, & pie ac præclare constitutas, extremo vitæ suæ tempore ejectis per Vandalos piis & orthodoxis pastoribus, & substitutis in eorum loca Arianis, labefactari & perire; & ipsa urbium ædificia dirui, & tandem urbem Hipponem cingi obsidione vidit, cujus tercio mense etiam ipse mortuus est.

Hæ calamitates ingentem dolorem seni Doctore haud dubie attulerunt, & larga lachrymarum flumina expresserunt. Sed hac consolatione se sustentabat, quod in his ipsis imperiorum & urbium ruinis Ecclesiam à DEO servari, & se laboribus docendi ac scribendi suis, non frustra niti, nec quidquam aliud fatigando se quam odium & infamiam quærere sciebat. Sed quo plures & acerbiores lachrymas in eundo & spargendo semine precioso profudit: eò uberioribus fructus & plures manipulorum acervos in horrea Ecclesiæ totius posteritatis & consuetudinis cum filio DEI æternæ illaturum esse. Beati estis, inquit Christus, ὅτι οὐ ἐν οὐρανόσιν ἡμᾶς καὶ διώξασι, quia merces vestra copiosa est in cælis; in cælis, non in his terris. Ut autem Athenis olim, optime de patria meriti cives Aristides, Cimon, Miltiades, Themistocles, tandem in exilium acti sunt, ita nobis etiam postquam diu labores & curas in aliis docendis & evehendis sustinimus, accidit, ut ab iis præcipue, quos eveximus & ornavimus, conculemur. Hæc magis ægre ferrem, nisi summis luminibus Ecclesiæ idem evenisse & quotidie evenire viderem. Cogito igitur, *κάθηναι καὶ πάτερ κλθ· ὅτι οὐ εὖ πολλοὶ ἡμείων*: ac illud Senecæ semper in animo & ore circumfero: Dum inter homines fumus, humana feramus. Injurias, convicia, vellicationes contemnamus, & magno animo breviam feramus incommoda. Dum enim respicimus, versamusque nos immortalitas aderit.

Mihi fato quodam meo, in Stiriam quoque ante mortem veniendum fuit: Ubi quanquam amantissime à provincialibus exceptus sum, & tracter honestissime: tamen curas & molestias non vulgares unà sustineo. Nec ab externis hostibus quidquam hæctenus impedimenti allatum est, sed domesticus Thrafo, qui juvare præcipue & provehere negocia debebat, inprimis ea retardare & turbare conatur, ut verè dicere possim cum Demosthene: *πάντες μὲν ἐν πολιτείᾳ ἀδελφοὶ γόντι, ὅς ἔκων ἄδιν ἀν' ἀλλήλῃς ἔπθ' εἶποι*. Sed vincit tamen Filius Dei verè regnans in his regionibus in medio inimicorum suorum. Nam & in hac urbe Græcia, quæ Stiria metropolis est, & Clagenfurdæ ac Labari, quæ in Ducatibus Carinthiæ & Carniolæ urbes primariæ sunt, publico verè Evangelii doctrina & sacramentorum ministerio Ecclesia æterna DEO colligitur, ac in singulis harum urbium Templis Evangelicis, quatuor collegæ docent. Nec sine ingenti voluptate & admiratione frequentiam procerum & populi arctissime stipatam in hujus urbis Ecclesia ad conciones Evangelii convenientem spectares. Archidux Carolus cum conjugè Bavarica Pontificiæ religioni

totus adhæret. Sed *avrosianus* in religione & cultibus divinis, cum Augustana Confessione congruentibus, provincialibus suis exemplo Imp. concessit: nec se cuiusquam subditi conscientiam religionis causa oneratum esse palam profiteretur. Interea tamen Jesuitas concionatores in suo templo alit, qui etiam Scholam die 23. Novembr. proxima inchoarunt. Provincialium Schola splendidissime ædificata, Templo Evangelico ferè contigua est. Ad sumptus Scholæ, Salaria Præceptorum, Oeconomiæ Mensæ communis, Stipendia pauperum Scholasticorum &c. tria millia aureorum annua Provinciales destinarunt. Rectorem conduxerunt Jeronymum Osium, virum gravem & eruditum, qui Ratisbonensi Scholæ ante paucos annos præfuit & Jenæ postea Professor, & ab Imp. Poëta Laureatus & Comes Palatinus creatus est. Is nunc familiam suam adducit & circa Calend. Maji ad nos reversurus est. Formam futuri Gymnasii carmine descripsit, quod Francofordiam ad Matthiam Ritterum, tibi transmittendum, superioribus diebus misi. De L. Philippi, filii tui vocatione, cum Syndico Provinciæ, qui pietate, consilio & autoritate sua hæc Ecclesiæ & Scholæ negocia præcipuè & fidelissime gubernat, collocutus sum, eumque, ut ingenium & doctrinam ipsius singulari, & morum innocentia & suavitas merentur, diligenter Dominis commendavi. Qui scribere ad eum quam primum iusserunt, ut circa Calendas vel Nonas vel ad summum Idus Maji sumptu ipsorum, huc adveniat, & præsentis loci ac Scholæ conditionem videat, ut & coram cum eo agi possit. Stipendia, si servire aliquantisper Scholæ volet, erunt præter liberam mensam & habitacionem communem, ad minimum ducenti aurei.

Erunt autem initia scholæ, ut ipse cogitare potes, tenuia. Sed diligentia, assiduitate, fide, dexteritate & industria docentium provehenda erunt. Quam perspecta non dubito, ex vicinis gentibus, Evangelii doctrinam avidissime stitientibus, multos ad discenda doctrinæ de DEO vera fundamenta liberos suos huc ablegaturos esse. Ea in re Filii tui ingenium, eruditionem & linguæ Græcæ etiam ac Ebraicæ peritiam singulari præsidio & ornamento novæ scholæ futurum esse scio. Nec dubito, ubi unum annum perspecta ipsius pietas & industria in docendo fuerit, summa cum autoritate & amplissimo stipendio esse. Interea & fratris L. Erasmi ratio haberi digna ipsius virtute & doctrina vel in hac provincia, vel in Austria poterit. Qui ipse scribit, sibi placere, ut Philippus præcedens, statum Ecclesiæ & Reipub. harum regionum exploret. Itaque, si consilium meum non improbabis, quamprimum hortator L. Philippo eris, ut Ulmam se conferat, ubi Danubio insidens, intra paucos dies Lynceam vel Viennam descendere poterit. Inde 26. milliaria hucusque curru vel equo conficere poterit. Ego fraternam fidem & benevolentiam ipsi probabo, nec

nec minus mihi quam tibi patri filiorum tuorum dignitatem & salutem, curæ esse debere, iudicabo. Tantum oro, ut ad Calendas vel Nonas Maji mihi adsit, & sua pietate, doctrina, suavitate & fide in hisce curis & laboribus me sublevet & cofoletur. Bene & feliciter vale. Græciæ in Stiria, die Conceptionis Filii DEI in alvo Mariæ virginis, 25. Martii, qua & passus est pro nobis Servator noster, & primi parentes conditi esse ante annos 5536, scribuntur.

David Chytræus.



CLXII.

*S. D. Reverendi & doctissimi Viri, fratres carissimi.*

ET si doleo, eas conversiones in vestra Ecclesia & schola incidisse, ut vobis alio in loco potius quam in patria, ingenii & doctrinæ vestræ fructus Ecclesiæ & discipulorum studii consecrare libeat: tamen mirandam DEI providentiam & consilia in gubernatione Ecclesiæ simul considero, qui saturis isthic & fastidientibus manna cæleste plerisque gubernatoribus & aliis, fortasse in his etiam regionibus ardentissime esurientes & sitientes veram doctrinam, saturare piis & salutaribus Doctoribus decrevit. De statu præsentis loci copiosius ad patrem scripsi. Quare etiam si hic toto vitæ tempore commorari non voletis, tamen, dum cælibes estis, hanc quoque Germaniæ partem, & Ecclesiarum ac Rerum publ. in ea statum coram videre & considerare vos, & docendo aliquantisper de aliis benemereri, non pœnitebit. Præsertim cum sine vestro sumptu confici ista possint. Petis autem tu, L. Erasme, si docendi munus vobis contingere posse sperem, ut fratrem Philippum prius vocatum in has regiones venire sinam, antequam ego discedam. Spero autem, si DEUS vitam mihi prorogabit usque ad Cal. vel Idus Maji, me vel hic Græciæ, vel certè Viennæ commoraturum esse. Optatim igitur quamprimum te, L. Philippe, frater & compater carissime, iter ingredi, & Ulmæ vel Ratisponæ Danubio insidentem, Viennam descendere, ut ad Calendas vel Nonas Maji, Græciæ, quæ 26. mill. Vienna abest, mihi præsto sis & tenuia hæc initia scholæ, ingenio, doctrina, dexteritate, fide & assiduitate tua ornare & provehere incipias. Stipendium primo anno erunt aurei ducenti, libera mensa & habitatio in schola splendidissime ædificata: Mensam seu victum solum alioquin vix 50. aureis vel Joachimicis haberes. De fratre Erasmo coram statuemus. Bene vale, & tolle moras, semper nocuit differre paratis. *ἀντος ἔμεινεν ἡμετέρις ἡμέρας 25. ὅτι Θεὸς ἐξήκουσεν.* Datum 25. Martii, quo Servator noster Jesus Christus

Q 9 9

ftus